



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXVII. De Aqva, Flumine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

aut totum processum reddant nullum. *l. licet. 24. C. eod.* tunc enim post litem contestatam etiam opponi possunt, modò quis juraverit, eas nunc demùm in notitiam pervenisse. *c. pastoralis 4. X. de except.* Exceptiones verò peremptoriae in prima instantia omisae in secunda opponi possunt. *l. per hanc. 4. C. de temp. appellat. Mev. P. 3. dec. 416.*

Declara: modò id, quòd in instantia appellationis opponitur, fuerit connexum cum illis, quae in prima instantia opposita sunt *d. l. per hanc 4.* Qvalia connexa quae sint, explicat *Brunnem. in process. civil. cap. 28. num. 87.* Hinc libelli mutatio in secunda instantia non admittitur, nedum perversio controversiae status. *Mev. P. 5. decis. 69. num. 4. & 5.*

IV.

Qui non appellat, approbat sententiam *l. 4. C. de muner. patronon. ibique Brunnem. & hoc etiam, si immunitatem habens ad munera publica vocatur, nam si non appellat, acquiescere censetur. Brunnem. ad l. un. C. de vacat. publ. mun.*

V.

Si quis per decretum à majori parte curiae factum & à iudice executioni mandatum gravetur, poterit coram eodem iudice causa gravaminis ventilari in iudicio per modum appellationis vel aliter, & iudex hic decernit, quòd aequius & melius videbitur. Et hoc casu appellatio habet effectum devolutivum, non suspensivum, nec tam attenditur numerus majoris partis quàm sanioris ratio. *Perez. C. de decret. decur. num.*

VI.

Nemini incumbit necessitas appellandi, nisi in causa propria aut aliena cum interest *l. 2. C. de filiis. fam.* Hinc qui appellat nomine suo vel ratione sui interesse, causam deteriorem *Brunnem. ad l. 2. C. eod.* Tunc quoque appellatio causam deteriorem reddit, si nominatus ad munus publicum appellaverit & ante diem moriatur, nam hoc casu heredes ejus obligantur, quòd secus est si non appellasset. *Perez. C. si post creationem num. 1.*

CAP. XXXVI.

De Applicatione Juris.

Quoties ob circumstantiam qualitas actionis mutatur, toties mutanda est juris applicatio. Quia jus oritur ex facto, facta autem mutantur ex circumstantiis. Exemplum est in *l. bona fides 31. ff. de positi.*

Limita: ut procedat in circumstantiis gravibus, qualitatem actionis mutantibus, non in levibus.

CAP. XXXVII.

De Aqua, Flumine.

Axioma I.

Non licet sine concessione principis aquam publicam in suum fundum deducere, contra

faciens fundo privat. *l. 2. 10. C. de aqua duct. & super aquaductione ex fundis principis vel publicis nulla praescriptio procedit l. 5. C. de fund. rei privat. cum immemorialis. Brunnem. C. eod.* Imò cum non licebat habere aquam privatam, nisi à censoribus venderetur. Nunc autem cuivis licet in privato flumine per proprium fundum decurrente molam extruere & ad ejus usum aquam deducere, etiam si ista aqua originem ex loco publico habeat: dominium enim aquae sequitur dominium fundi. Imò & ex flumine publico non navigabili aquam ducere licet *l. 2. de flumin. Brunnem. ad l. 2. C. eod.*

II.

In flumina praesertim castris vicina nil sordidi projiciendum & in iis nemo nudus in conspectu hominum natari debet. *l. 12. C. de re milit. Flumen enim commune militum est poculum. Brunnem. C. eod. col. 2.*

CAP. XXXVIII.

De Arboribus.

Axioma I.

Arbores grandes & frugiferas vasallus, vel usufructuarius non potest incidere ut eos vendat, bene tamen ad usum lignandi & aedificandi. vid. *Schifordegher. lib. 3. tract. 29. g. 6. p. 439.*

II.

Non licet arbores, quae ex vicini fundo radices porrexerunt, recidere. *l. 6. §. 2. arbor. furtim cas.*

Limita: nisi radices arboris fundamento domus perniciose sint, vel cultura fundi & perceptio fructuum inde minuatur. *l. 1. §. 8. de arbor. cadend.* Usus quoque hodiernus permittit ramos supra domum fundumque vicini pendentes, *Überhang der Aeste* propria auctoritate incidere. *Capoll. de servit. praed. urban. cap. 81.*

III.

Arborum appellatione vites ac alia veniunt. *Berl. P. 5. concl. 52. num. 22.*

IV.

Excisio arborum regulariter est culpa speciei & punitur, *l. 25. §. 3. locat.* interdum tamen est boni patrisfamilias *Brunnem. ad l. 2. C. de cens. num. 3.* Neque ille tantum punitur qui arbores arbores subsecuit vel excidit, sed & qui cinxit aut deglabravit. *l. 5. ff. arb. furt. cas.*

CAP. XXXIX.

De Armis.

Axioma I.

Arma perdere vel alienare grave delictum est, itaque hi non gaudent jure postliminii *l. 2. 3. de captiv. & postlimin. l. 17. ibid.* & pro infamibus habentur. *Perez. C. de tyron. n. 8. g.*

II.

Armorum confectio peritissimis artificibus committenda, hinc non nisi praevis indagatione